B. N. C
FIRENZE
1 1 2 3
18

1123. 18

DOMITII CALCIATI
NOVARIENSIS
Fragmentum Poeticum
DE BELLO GALLICO
In Inſubribus geſto

Nunc primùm in lucem prodit

Edente, ac Notante

LAZARO AUGUSTINO COTTA
De Ameno

In Riparia S. Iulij Diœceſis Novarienſis.

Ad PerIll. & Reverendiſs.

D. IOSEPH CALCIATVM

I.U.D. & in Inſigni Baſilica S. Gaudentij Novariæ
Præpoſitum, & Canonicum.

MEDIOLANI MDCC.

Ex Typographia Caroli Ioſephi Quinti.
Superiorum permiſſu.

1123. 28

Per Illuſtris, ac Reu.me D.

DOmitij Calciati egregij, præſtantiſque Poetæ opuſculum, quod in Muſeo Novarienſi notaveram, è Bibliotheca Bianchiniana, ſive è Codicibus MS. Auguſtini Valerij in ea aſſervatis exſcripſi, & publica luce digniſſimum urgeor pro Novarienſis nominis fama prælo committere. In hoc vides gloriam, quam etiam ab atavo tuo accipis, qui floruit iam fere ſupra annos bis centum, quique GAUDENTIUM MERULAM promeruit habere encomiaſtem. Siquidem cum ille de Claris Familijs ſcriberet, Calciatos nedum dicit honeſtiſſimos Fori Lebetiorum municipes, ſed etiam ſuos conterraneos, ſibique affines teſtatur, eoſque magis, magiſque illuſtrari à literario ſplendore Domitij, quem latinam Syrenem alibi vocat quædam ipſius referens carmina, ſignanter ea, quæ edidit in Lavacrum aquæ luſtralis Novariæ, cuius tactu centum dies veniæ conceſſit Cardinalis Antonius de Monte Epiſcopus Novarienſis. Rurſus eum laudat in Terentiano pag. 16. in Memorab lib. 4. cap. 37. & in Gallor. Ciſalpinor. antiquit. lib. 1. cap. 2. gravique elogio ipſum exornat ANDREAS ASSARACUS SARACCUS (Novarienſis, è pago Veſpolato) in Trivultiade pag. 25: nonnulla eiuſdem Epigrammata habet AURELIUS ALBUCIUS in liberculo Chriſtianarum Virtutum, & paucula eiuſdem carmina ex hoc opuſculo deſumpſi ad illuſtrandum Macaneum. *Tantus vir anno 1527. menſe Iulio interijt, ſed perenni apud homines vivit fama, qua poſteros ad litterarum amorem provocat. Et ſane Joſeph patruus tuus (ne tot alios repetam) inter Canonicos Lateranenſes diſertiſſimi Oratoris, nobiliſque Poetæ nomine præclarus, tuuſque frater Io. Baptiſta I. C. cum vix ad viriles annos*

accederet, iam Præfecturis DomoOſcelana, Pallantina, & Abbiagraſſi integerrime, ac religioſe geſtis, patrocinioque rebus Fiſcalibus in Curia Ticinenſi preſtito præexercitatus, & immature tibi ereptus, Domitium vel ſuſpexere, vel æmulatione laudanda perciti ſuperare ſunt niſi, tuque imitari contendis, dum nonniſi urgentibus literaturæ meritis dignitatem aſſequutus es, ac maiora exigis, & non niſi patrocinante doctrina tueris Eccleſiæ tuæ iura, & poſtulante virtute maximi à tuis conſodalibus æſtimaris. Opuſculum itaque Domitij tui, Vir ſpectatiſſime, quod levioribus notatiunculis illuſtrare ſtudui, & in Muſeo Novarienſi (ut dixi) recitavi, hilari fronte excipe, & veluti ſtimulum ad amœniora ſtudia capeſſenda tuis concivibus propone, evulga. Hæc ne dedignare accipere (ex Oppido Ameno in Riparia Sancti Iulij Diœc. Novarienſis xv. Cal. Maij MDCC.) a

Tui Obſequentiſſimo

Laz. Aug. Cotta.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Felici ſtylo, & prope exundanti carmine, ac plane turgido exorditur Hiſtoriam ſuam egregius Poeta noſter Domitius Calciatus. A pactis igitur connubiaiibus (1) Valentinæ filiæ Ioannis Galeatij Vicecomitis Mediolanenſium Ducis initis anno 1387. cum Ludovico Aurelianenſium Duce, caput ſumit narrationis, tangitque cædem Ducis Mediolanenſis Ioannis Mariæ Vicecomitis, qui ſine liberis deceſſit anno 1412. mox Ducis Philippi Mariæ fratris, & ſucceſſoris obitum (1447) nulla relicta prole maſcula. Hæc cauſa, & origo fuit terribilis contentionis, dum Rex Neapolitanus, Veneti, Imperator, nec non Galliæ Rex, quiſque pro ſuo iure huic Dominio inhiat affectanter. Armorum ſtrepitus ubique: nam & Mediolanenſes opportunam captandæ libertatis anſam rati, exercitum quoq; ſuum parant, Colleone accito in armorum Moderatorem; ſortem tentaturi aciem inſtruunt, inſurrectionem meditantur, potiſſimùm in Gallorum copias à Raymundo Cardona traductas. Diuertit author ad Caroli VIII. Francorum Regis in Regni Neapolitani poſſeſſionem nanciſcendam robur, & victoriam, ſollicitante Ludovico Maria Sphortia agnomento Mauro Mediolanenſi Duce anno 1494. (2) Verum idem Sphortia, cum pœnituiſſet vocaſſe in Italiam Gallos, opus pariter ſuum induxit ad eos expellendos valido, quo plus datum fuit, conatu, Venetis confœderatus. Tum fuit, cum acriter ſuper hac re anno 1495. 6. Iulij certatum, & forti manu digladiatum eſt ad Tarum (3) in agro Parmenſi

 (ſcil.

(1) Hae pacta cum nuptiarum deſcriptione, iocalibus, & apparatu habentur in Cod. MS. Valiſone *penes Canonicos Cathedralis Novariæ. Eorundem pars apud* Benuenutum *San-Georgium ex Comitibus Blandrati in Chronicis Montisferrati* (2) *De Caroli VIII. in Italia geſtis vide* Philippum Comineum. (3) *De hoc prælio vide* Albertum de Lazaris *to. 1 pag. 10 &* Alexandrum de Benedictis *Certamini interfuit B. Hieronymus Mianus miles, & inde fundator Congreg. Cler. Reg. Somaſchenſium, ut ex Hiſtoriis ſuis, quas elucubrat* P. Ioſeph Hieronymus Sementius Cremonenſis.

(ſcil. ad eius fluminis oras) ſeu mavis ad Forum novum Oppidum, quod & hodie *For novo* nuncupatur, à Parma decem circiter milliaribus diſſitum. Tunc Novariam Ludovicus Aurelianenſis Dux occupabat: Dux autem Mediolanenſis ipſam obſedit (4) poſt memoratum prælium, fame domuit fuſis ad pagum Numennonium Gallis ſuppetias ad eandem urbem ferentibus. Et hinc eodem anno 1495. 10. Octobris pax icta, eademque die Galli ex urbe abiere. Carolus VIII. moritur anno 1498. 8. Aprilis, mox Ludovicus Aurelianenſis in Regem ſalutatur. Progreditur author narrando prælium ad Riottam (campum videlicet inter Novariam, & inſigne Oppidum Trecatum ad tertium pene lapidem) ubi non minus ſtrenue, quin & forte atrocius anno 1513. 7. Iunij ſub Maximiano Sphortia (filio Ludovici interim anno 1510 vita functi) Gallos ducentibus Io: Iacobo Trivultio, & Tramulio, ita crudeli internicione pugnatum, & actum eſt, ut ſi conſtanti accolarum traditioni fidimus, alveus Terdupli torrentis interlabentis dicatur per triduum effluxiſſe rubens ex cæſorum ſanguine, & horrorem expumans. (5) Cæterum is campus Martis apud ſcriptores hoc uno facto percelebris, in pręſens bubulcis tantum proſtat, & aratro, paucis mapalibus contentus. Proſequitur Poeta edicere mortem prædicti Ludovici Galliarum Regis (1515. 1. Ianuarij) adorſus aliqualem morientis perorationem, qua Franciſcum I. generum ſuum, & hæredem in Mediolanenſem Ducatum vi comparandum, tamquam ſibi debitum, impelleret. Ea propter is Regnum eodem anno auſpicatus, non tam à Regio faſtu, quem iam Pariſijs abſolverat, quam à bellico apparatu, quem Lugduni diſponebat, proceres, & belli duces illuc accitos, ferocienti pene oratione in Inſubricam expeditionem concitavit ardentiùs. Deinceps ad eam ventum eſt eodem anno 1515. ſub Duce Carolo Borbonio, ipſamque

Poeta

(4) *De hac obſidione vide* Epiſtolas Principum *pag.* 84. Comineum *lib.* 8. *c.* 10. Guicciardinum *lib.* 2. *cum notis* Porcacchij, Albertum de Lazaris *to.* 1. *pag.* 87. *ſed pleniſſime penes* Alexandrum de Benedictis *lib.* 2. *&* Carolum à Baſilicapetri *in Novar. Sacra pag.* 530. (5) *De hoc memorando conflictu ſcribunt* Iovius, Guicciardinus *cum notis* Porcacchij, Albertus de Lazaris *p.* 1. *pag.* 164. Baſilicapetri *pag.* 549.

Poeta & largiori ſtylo conſultò exponit, ut ſonoram inducat (prout Gallici moris eſt) iactabundam, & altitonantem comminationem. Mox præceps, & pene clam (6) ſubducta in Italiam irruptio, & repentina prorſus. Interim Dux Maximianus Sphortia audiens Gallorum apparatum, iuſtoque timore concuſſus, & in extremo diſcrimine poſitus Heluetios in auxilium vocat, neglectis paternis monitis inſiſtentibus, ne huic genti non ſemper conſtanti fideret. Eos igitur per legationes allexerat, urſerat magnis ſponſionibus. Ipſorum conuentus, conſpiratio, & apparatus ab authore deſcribitur ſingillatim per partes. Cum his adfuere, & Sedunorum (ſeu mavis dicamus Valleſianorum) turmę, ductante Card. Matheo Schiner (7) qui ad arcendos Gallos iam inſederat Pinerolij una cum nonnullis veteranis Heluetiorum manipulis, ſed irruentibus Gallis, & tumultuantibus Helveticis copijs, quæ nuper aduenerant, ſe in arcem Novariæ recepit, quæ præſidio Helvetico firmabatur. Verum ulterius procedente Gallo, hiſque præſidiarijs abeuntibus, Novaria rurſus in poteſtatem Gallorum venit ſub menſis Auguſti dimidium. Itaque non bene ominatus Helvetiorum auxiliariorum adventus, quorum efferam pluſquam militarem in deprædando licentiam author inducit, deinde exoſam, & turpem poſtea defectionem (8) à promiſſis, & iniquam cum Gallis pactionem condictam, ac receſſum vſque ad decem mille per Oſcelam Vallem Diœceſis Novarienſis. At certe Cardinalem ipſum nullatenus conſenſiſſe in perfidiam, certo certius conſtat ex eo, quod in fine ſui carminis Poeta eleganter recitat: & hoc quidem non perfunctorie factum, aut inconſulto, ſed ut huiuſmodi notam penitus abigat procul à tanto viro uſquequaque integerrimo. Indecora igitur, quam dicebamus, Heluetiorum defectio totam Inſubriam indicibili trepidatione concuſſit, Mediolanenſes

 præ-

(6) Hunc aduentum per inſuetum iter deſcribunt ijdem authores. (7) De Matheo Schiner Sedunorum Card. & Novarienſi Epiſcopo, deque ipſius militaribus geſtis ſcripſi in lib. 2. Chorographiæ ex Baſilicapetr. Iouio, Guicciardino, Alberto de Lazaris par. 1. Leonardo Malinkrot. Vghello, Oldoino, Saracco &c. (8) Hanc defectionem ijdem ſcriptores expandunt.

præſertim, quos Poeta inducit veluti memores miſerandæ ſtragis, quam Galli patrarant in Brixienſes anno 1512. 9. Febr. & in Ravennates eodem anno 11. Aprilis (9) Interim Rex Franciſcus ſatis ſua arte contentus, quod eos venales gregarios à Maximiani partibus abduxiſſet, Ticinum fl. cum pleno commeatu ſuperat, & quantocius Mediolanum prope caſtremetatus eſt. Quare & ipſe Maximianus præ omnibus exterrefactus intra arcem ſe recipit, & Ciuitas Oratores ad Regem deſtinat ſupplicabundos, qui inducias petant, deſpondeantque inſimul ſe dedituros, ni intra condictos dies veniant ſuppetiæ. Tum Rex condolentis facie legatos amanter excipit, bono animo eſſe iubet, meliora ſperarent, quam ipſi perperam extimeſcerent. Legatorum Orationem Poeta exponit mirifice, ac Regis reſponſum grave ſane, ac Maieſtatem redolens recitat. Hoc eodem tempore ecce Ioannes Iacobus Trivultius (10) iamdudū à Ciuitate Mediolano profugus, proptereaque Gallico Regi addictus urbem ingreditur inexpectatus omninò, exiguo ſtipatus equitatu, & ut amantiſſimus ciuis è longo poſtliminio redux gratulanter excipitur ab urbis primoribus. Inumbratur extemplo Maximianus (quaſi is Regis prodromus anteuerterit ſtraturus hoſti viam, & acceſſum) plebem per emiſſarios vicatim in arma concitat. Hinc tumultuaria populi Mediolanenſis irruptio in Gallos: & hinc Regi commota bilis, quam cautior prudentia cohibuit opportuniorem eventum expectaturam. Melenianum poſtmodum ipſe profectus, ubi (decimo ab urbe lapide) caſtris poſitis, acieque inſtructa ſe ad dimicationem paravit. Interea Card. Schiner Heluetios (bicipites, ideoque voraciores amphiſibenas) rurſus evocatos debitam in fidem ſuccenderat, ac intra Mediolanum coegerat ad imperium Mediolanenſe Maximiano tutandum, firmandum. Eos ipſe Melenianum ducit, in acies diſponit, vehementique

(9) *Pralio Ravennatenſi interfuit Federicus SanSeverinus Neapolitanus, ex Comitibus Caiazzij. Epiſcopus Novarienſis, ut innuit Author noſter. Et Guicciardinus deſcribens [illegible] illius exercitus ait, hunc Cardinalem corpore, animoque ingenti, lucidiſſimis armis à capite ad pedes contectum ſuſtinuiſſe bellatoris (non Cardinalis, aut Legati) munus.*

(10) Andreas Alfaracus Saraceus *iuſto volumine laudes huius herois exſoluit*.

tique concione ad certamen impellit, prout inde (infauſte tamen) die 13. Septembris 1515. conflixere. (11) Huiuſmodi adhortationem ex multo verborum, & ſenſuum pondere ſanè gravem pro diſertiſſimi huius Cardinalis eloquentia ſerio parabat Poeta: Verum dum in pleno curſu ampliora (ut patet) meditaretur, ſubſiſtit calamus, fallitur que plenæ hiſtoriæ deſiderium, quod poeſis hæc (ni fallor) clara, ac limpida exciuerat, & invexerat, ita ut Domitio Calciato noſtro rectè poſſimus adaptare, quod *Statius* in immaturo HiſtoricoPoetæ Lucani occaſu deflens exſcripſit:

Hæc cecinit vates ſcripturus plura, ſed illum
In medio curſu iuſſit mors dira ſilere.
Acciditur lycno, qui fixus arundine, carmen
Mille modis querulum, quod cæperat, interrupit.

Lectoris tamen auiditas adeat *Andream Aſſaracum Saraccum*, qui in Trivultiade hæc bella prodidit carmine elegiaco, & nonnulla ex hoc fragmento deſumpſit, multaque ex *Aurelio Albucio* Mediolanenſi fatetur ſe furatum eſſe: adeatque vernaculum opuſculum poeticum inſcriptum *Guerre horrende d'Italia* recuſum Mediol. 1545. Anonymo authore, qui res ſeriatim perſtringit ab expeditione Caroli VIII. uſque ad Reip. Florentinæ deditionem. Ex Oppido Ameno in Riparia S.Iulij Diœc. Novarienſis V.Cal.Maij MDCC.edebat Lazarus Auguſtinus Cotta è ſuo ſylvoſo gurguſtiolo Fontana di Oro.

(11) *In hoc prælio duodecim millia Gallorum, quindecim millia Helvetiorum cæſa. Sed antequam exercitus congrederetur, Gallorum Rex rurſus Helvetios abducere conatus eſt octocentum millium ſcutatorum vi, quam conditionem Helvetij accepere, mox deierarunt.*

IMPRIMATUR.

Fr. Ioſeph Maria Reina Ord. Prædic. Sac. Theol. Magiſter, ac Commiſſarius S. Officij Mediolani.

Bartholomæus Craſſus Can. Ordin. pro Eminentiſs. D. D. Cardinali Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiſſimo Senatu.

INdomitas Gallorum acies, & Marte potentem
Heluetium, ſparſos periuro ſanguine campos,
Strataque magnanimæ tot fortia corpora gentis,
Muſa leves non fronde comas redimita, nec auro,
Sed galea cohibente caput, ſed vertice criſtis
Sanguineis, memora concurſum in prælia gentis:
Hoc inter medias acies, & ſanguinis atri
Flumina, terribilemque agitato Marte fragorem,
Vincentum inter clamorem, & gemitus morientum
Concuſſo clypeo liceat deducere carmen.
At ſi Pierij retinent te frigora fontis
Lauriferi, & ſuaves Parnaſſi collibus vmbræ
Sole ſub ardenti metuentem pulvere crines
Fædare, & teneras reſpergere ſanguine palmas,
Me Rex victrici ducet per prælia dextrâ
Dux meus, inuicto cui gloria Cæſaris vni
Contigit, & pariter poſt fata locabitur aſtris.
Hic fuſas acies, hoſtis victricia ſigna,
Egregiamque ducum mortem per vulnera mille
Oſtendet, quantoque luat gens perfida pœnas
Sanguine percuſſum fœdus, ſacra vincula rumpens.
Tu modo, Diua, ſonos modulans, dictataque verba
Funde aliquid vel te, vel tanto Cæſare dignum.
Inſolitas quæ cauſa vias, clauſumque per omne
Tempus iter duros varijs aperire periclis
Impulerit Gallos, cur tanto ſanguine terram
Inſubriam repetant, fortes diſcrimine nullo
Cur fundant animas ſacro de ſanguine Regum,
Altius a prima repetamus origine carmen.
Anguigeræ prolis, celebrandæ gloria gentis
Sub titulo Ducis imperium GALEATIUS oræ
Inſubriæ lætis primus, qui iunxit habenis,
Externos quærens thalamos, generumque potentem,
Natam AURELIACO IUVENI (cui clara ſuperbos

Regia ſtirps animos, ſpeſque haud incerta futuri
Gallorum regni dederant) lætis hymenæis
Coniungit, ſociamque thori permittit habendam,
Et ſimul hæc certo ſibi lex eſt fœdere dicta:
Ex ſocero proles ſi maſcula nulla ſuperſit,
Tunc eius regni veniant in iura nepotes
Ex genero, extendatque ſuas gens Gallica ſedes:
Pontificis ſancitque manu conuenta, fideque,
Cuius in arbitrium fuerat delata poteſtas
Romani Imperij, proceres, cui ſceptra darentur,
Dum ſimul eligerent, firmarentque ordine certo.
Hæc primum Latios fœdarunt ſanguine campos
Vincula, & hinc fractis ſonuerunt montibus arma;
Nam primam ſoceri ſobolem feritate leones
Vincentem, rabidoſque canes, quos ſanguine pavit
Humano, populus patrias obtruncat ad aras.
Romanis ducibus par belli laude PHILIPPUS
Fœmineum exoſus genus, & connubia damnat,
Legitimaſque faces: hinc nullo hærede relicto
Imperij, moriens lacerandas præbuit urbes.
Nam ſua PARTHENOPES *dominus nunc regna repoſcit*
Oſtendens ſcriptas voces, & ſumma PHILIPPI
Verba Ducis: VENETIQUE *inimica hinc ſigna ferebant:*
CÆSAR, *& antiquo imperium pro iure petebat:*
GALLIA *dotales leges, coniunctaque Avorum*
Attulit, & ſumptis armis ſua iura tuetur;
Prætorem capere arma ferox nam iuſſerat Haſtæ
RAYMUNDUM *patriam crudeli Marte phalangem,*
Et Narbonenſes ductantem in bella cohortes.
At MEDIOLANUM *pro libertate fremebat*
Sphortiaco ductore fera inter bella PHILIPPI
Aſſueto, quo non melior probitate, nec armis,
Ingenti Venetos bello dum comprimit hoſtes.
In-

Inſtructa ergo acie legatus COLLEO turmis
Italicis tumidas Galli compeſcuit iras:
Eſtque animis paribus certatum, & robore utrinque,
Utrinque & pariter ceſſatum Marte cruento,
Donec inacceſſas tranſcendens CAROLUS Alpes
Parthenopem repetit, regna & ſibi iure paterno
Debita, magnanimas ex æquo regna VIRAGO
Commiſcens acies cum regno victa timeret,
Lege ſibi natum Gallo de ſanguine adoptat:
Et iam Parthenope, victricia ſigna, receptà
CAROLUS edomitis vindex referebat ab oris.
Accitum huc magnis donis in bella morantem
Inſubriæ affectans LUDOVICUS SPHORTIA Regnum
Compulerat, quaterent ut Gallica ſcilicet arma
Inſtantem ſocerum nati de ſanguine fratris,
Quem Mediolani manſiſſent debita ſceptra,
Exitium puero patruus ni quæreret hoſtis.
Poſtquam igitur fractas vires, hoſtiſque ruinam
Conſpexit, metuens veteri ne Gallia iure
Dum premit Italicos armato milite campos,
Vindicet optatas vicinæ Inſubridos oras;
Arma parat, ſocium & VENETUM ſibi iungit in armis.
Promiſſam ipſe fidem noſcens, & fœdera rumpi
Rex AURELIACUM LUDOVICUM iuris aviti
Hæredem pingues, qua læta Novaria campos
Sulcat Sphortiacos, & limite terminat agros,
Fatales acies infeſta Novaria campo
Vidit, & Helvetio fatis occurrit iniquis
TRAMULUS nimio haud exutus ſanguine caſtris,
Dum cupit intactas Regni ſervare cohortes,
Viribus inde fremens conſurgit GALLIA totis,
Amiſſæ vindex laudis decus atque repoſcit
Rex armis, ſed fata ſuis conatibus obſtant;
Regia nam ſævæ ſolverunt fila ſorores.

 Ex-

Extremam ante tamen quam mors apponeret horam,
Complexus generum dextrâ, lacbrymiſque profuſis
Paulatim moriens ſubmiſſa voce profatur:
Te teneris, FRANCISCE, annis, primaque iuventa
Sanguinis hæredem, generumque in regna vocavi:
Hactenus ipſe aliquid potui, nunc frigida ſolvit
Corpora mors: at tu quando mihi fata negarint,
Inſubriam vt repetam, & pendat gens perfida pœnas,
Sume animos noſtros: Auri tibi pondera magna,
Diuitias linquo, innumeramque ad prælia gentem
Regna dabunt, modo tu ne deſis fortibus auſis:
His vitam tenues dictis efflabat in auras,
Pluraque conanti vox intercluſa negavit.
Continuo Regem FRANCISCUM vno ore ſalutant
Gallorum magni Heroes, ſacroque liquore
Perfundunt nitidos armos, capitique coronam
Circundant: celebres duxit Lutetia pompas,
Atque ſuæ faſtus mirata eſt Sequana gentis,
Et ſceptrum accepit Lugduni ingreſſus in vrbem.
Qualis deuicto Pompeius Tigrane, qualis
Iulius edomito retulit ſe victor ab Orbe,
Hic primùm magna procerum ſtipante caterva,
Inter mille Duces Gallos, ſanctumque Senatum
Iura dedit populis, æquis ſub legibus omne
Firmavit Regnum, quærens & inire propinquas
Principum amicitias, & fœdera priſca novavit.
Nec tamen interea exciderant ſervanda perempti
Iuſſa animo ſoceri, Inſubrij nec cura laboris,
Et iuvenem accendunt inſtantis nomina laudis,
Inſolituſque pudor, patrijs & dedecus armis.
Ergo in concilium proceres vocat: excita paſſim
Nobilitas iam tota ruit, ceu perfida quondam
Terrigenùm cum turba Deos in bella popoſcit,
Dum ſuper imperio dubitans Saturnia proles

Nu-

Numina cuncta eiet, veniunt ad tecta Tonantis
Primores Divûm, medij, nec turba minorum
Ceſſat communi pro maieſtate tuenda,
Ipſe inter medios ſublimi vertice Divûm
Stat genitor, tanta rerum de mole loquutus.
Talis Rex proceres ſtetit inter celſior omnes,
Atque hæc innixus ſceptro, de pectore fundit.
Credo ego, Magnanimi Heroes, ſocijque laborum
Noſtrorum, & laudis quicquid fortuna datura eſt,
Cernere vos, poſtquam pacato vivere regno,
Et Superis placuit, veſtra & virtute paraetum eſt,
Molliter ignava vincendum pace per æuum
Eſſe, vel externis agitanda in finibus arma
Noſtra, quibus demum cœlo ſe gloria tollet.
Non patrij mores, atavûm non inclyta virtus,
Noſtraque per terras armis tot parta trophæa
Ocia ferre iubent; quam iuſtior altera pars eſt,
Italiam ſuadens bello vexare potentem,
Unde patres decus egregium, vnde & tanta tulere
Præmia virtutis, quo debita iure paterno
Inſubriæ nos Regna manent, licet inde coacti
Cum reuocant patrijs nos bella domeſtica terris,
Cedere dum melior ſpirat fortuna, decuſque:
Nunc tempus gente ex inimica ſumere pœnas.
Dedecus hoc, proceres, patiemur, Gallica terga
Vidiſſe Heluetios? nos ſcilicet inde fugarit
Gens magis apta greges ſeruare in montibus ipſis,
Quam volitare in equis, gladioque accendere Martem?
Summe Deûm nam regna tibi mortalia curæ,
Qui mentes hominum penetras, perque intima corda
Teſtor magnanimûm vos o mea numina Avorum,
Dedecus hoc non ipſe feram, non, ſi qua poteſtas
His poſita eſt ſceptris, patiar vos ferre Tetrarchæ,
Uoſque duces, nec turba diu ſe perfida tollet,

Impune Helvetios noſtras pepuliſſe catervas.
Eſt animus, mi ſunt & opes, ſunt fórtia bello
Pectora; nec quamvis prima lanugine vix dum
Ora tegam, deerit media inter maxima bella
Conſilium, Comites mihi vos cum fata reſervent.
His dictis, dudum belli flagrantia amore
Pectora concuſſit, cunctique uno ore fremebant.
Arma paranda, & equos, totis ut viribus ipſam
Vindicet Italiam, quos multa TRIVULTIUS *inter*
Inſubri a populo hinc profugus dum Regna Tyranni
Non patitur patriæ vindex, cultorque ſalutis.
Egregium decus Inſubriæ, laurentis & agri
Seu ſtruere eſt acies, duroſque in bella maniplos
Vertere, ſive truces ferro proſternere turbas
Tutus ab inſidijs, quo nec præſtantior alter,
Cum ſuadere opus eſt, vel diſſuadere neceſſe.
Ingenti aſſenſu rerum de mole loquutus
Diſſeruit tum de belli ratione, modoque.
Poſtquam certa animis ſtetit hæc ſententia, bellum
Auſoniæ indici, repetique Inſubria regna.
Et parili ſtirpe inſignis BORBONIUS *ingens*
Dura viros ad bella ciet ditiſſima rerum,
Qua Lygeris per regna fluens immurmurat undis,
Et Capitolinæ rurſum minitantia rupi
Agmina Boiorum duras in prælia gentes
Dignus, cui Regni Rex credere poſſit habenas,
Quemque equitum dicat belli hac ſub mole magiſtrum.
Venit & auratis ſplendens VANDOMIUS *armis,*
Ingenti ſublimis equo, qui naribus ignes
Efflat, terribilemque hinnitum ad ſydera tollit.
Huic armis paribus germanus pectore forti
Fit comes A DIVO *retinens cognomina* PAULO.
Nec tu carminibus noſtris indictus abibis,
Maxime Dux, cui tota armat LOTHARINGIA *pubem*
Feli-

elicem, ſulcantem agros, pinguemque Moſellam
Piſcibus, atque ſalis durantem flumina multi:
Unde Salam populi fluvium dixiſſe videntur.
Quis MOTTA argenti tot pondera fluctibus abdit,
Motta Tagum & vincens Pactolum divite arena?
Hos ſequitur prima necdum lanugine tectus
CLAUDIUS ingentem contorquens GUISIUS haſtam
Nec conſanguinei reſonare per agmina ceſſat
MENNAPII laudes Ducis, atque ingentia facta.
Conſilijs, armiſque potens & LAUTRECUS ipſe
Affluit, hic (quantum crudelis Vaſconis agros
Spectat Aquitanus) Mavortia duxit in arma,
Huncque pari frater bellorum inſignis honore
LESCUTIUS ſequitur, correptiſque intonat armis.
Teque tot inſignem bellis videre verenda
Canitie, veterumque ducum novere cohortes,
TRAMULIA, afflictis regni ſpes altera rebus.
Felix, ni invideant crudelia fila ſororum,
Ni natum lætho damnent & te patre dignum,
Et ſpem Francigenûm creſcentem in limine primo.
Tu BOISI, magnum quem Gallia tota Magiſtrum
Nuncupat, & tu iſdem BONIVETE parentibus orte
Arma citi capitis titulos referentia magnos.
Nec LONGÆ ceſſat VILLÆ DUX, gloria Martis
Queis te carminibus memorem, quo nomine laudis,
PALISSE, o fulgur belli, ſeu vincere dextrâ,
Conſilijſve opus eſt, quem ſævo Marte Ravenna
Senſit, & invictum quem Brixia mente rebelli?
Hinc volitat frendens Comes ipſe NIVERNIUS atrox,
Hinc EBERARDUS equos agitabat OBINGIUS acres,
Ibat & egregio Princeps inſignis honore
Qua Pyreneis provincia montibus hæret,
Et celebrem armabat conuallem BERNIUS, ex quo
Affatim cæſa eſt acies Pippinia. Magnus
Ipſe Palatinam imperij cum robore ſtratam

CAROLUS ingemuit crudeli Marte phalangem.
Et duce PONTREMIO fortes venere Picardi
Conſtantina Sunam qua ſpectant caſtra fluentem,
Burgundæque manus fortem ASCHATEONA dederunt;
His & Lemovicum miſcet BONEVELLIUS Heros
Præfectus ſibi qua ripas Cavetellus inundat,
Subiectumqve videt pelagus dominata Rocella.
Non GALEOTUS abeſt, cui bombea machina paret,
Imperijs magnis & vaſtas territat urbes.
BUSSIUS, & pariter mœſto IMBELEVETIUS ore,
SANZARIUSque Comes vicinæ pervia mortis
Signa ferunt, triſtem frontem & trepidantia corda.
Hunc LADERUS, & hunc SANALETIUS, inde BIARDUS
Flos equitum, quo non melior certare duello,
Quem ſatis & notum nullus iam provocat hoſtis.
Nec minus Inſubris profugi, primuſque fremebas
Carmine ſat nunquam noſtro laudate TRIVULTI
Maxima Gallorum in tantis ſpes plurima cæptis.
Filius & iuxtà patrijs non degener armis
Spes magna Italiæ creſcens in bella CAMILLUS:
Te THEODORE, tuæ non impar gloria gentis
Sentiet Helvetius iam cæpto Marte furentem.
Uos alij, quo ſtirps eademque Trivultia miſit
Militià Fabijs non conceſſura, nec alto
Scipiadum generi, ſocia bis veſtra arma tuliſtis.
Tene SEVERINÆ gentis laudanda propago,
Non memorem regum GALEATI magne magiſter,
Cuius magnanimo eſt omnis ſub pectora clauſa
Nobilitas, quæque, & virtus, & quidquid habetur
Egregium, ſeu pace velim, ſeu dicere bello?
IULIUS & frater levibus tecum imperat armis:
At vos anguigeri fratres decora inclyta avorum
Servantes patrijs armis, nec honore minores
Germani populos reſperſos ſanguine veſtri
Poſcitis ad pœnam exitium crudele minantes.

…gnite & Helvetio minitaris, RUSCHA, propinquo:
…uſcha atavis, proaviſque potens, & honore paterno,
Qui iuga, convalles ſceptro & moderaris amœnas
…erbani, Ticinus nitidis qua mergitur undis,
Et prima Helvetijs ſe opponit fronte Lycarnus,
Lucanæque domus, & multà vallis oliua.
Inſequitur peditum nimbus, primique Sycambri
Inuiſtis venere animis, Duxque ipſe refulgens
Per medios alto GALTHENSIS vertice ſurgit.
Fama eſt, finitimos longa regione Suevis
Mennapijs in agris Rhenum tranaſſe Sycambros,
Atque has expulſis ſedes tenuiſſe colonis.
Proxima ſigna ferunt VENULI, quos inde Vahalis
Abluit, in geminas Rhenum cum dividit undas,
Inde Moſam placidè labentem murmure cernunt
Urbs ſpectata armis, quæ nuper viderat in ſe
Germanam bis, Panainque manum, forteſque Britannos
Gentis in exitium ſupremum, urbiſque ruinam
Coniuraſſe ſimul, ſed iactat voce ſuperba,
Tot validos patrijs pepuliſſe a mænibus hoſtes.
Vexillum erexit Leigæ, Leodinaque ſigna
His Latiam memorant legionem ſedibus olim
Germanæ oppoſitam genti, populoque rebelli,
Tarpeias Geticus cum Princeps verteret arces
Conſediſſe, feris Eburonibus indè fugatis.
Seruat adhuc mores, habitum, vocemque latinam
Urbs, quamvis mediam claudant hinc Gallia, & illhinc
Infeſti æternùm Sequani, hinc Germana iuventus,
Et ſibi tempus ad hoc ſeptem Agrippina recenſens
Romanas ſtirpes, & regni iure ſuperba
Continuit populos vix transfuga ſigna ferentes.
Tu quoque Aquitanas NAVARRE, in prælia vertis,
Inuicte o NAVARRE armis, & funditus arces
Solus inaceſſas evertens fulminis inſtar.
Hos MONGIRRONUS, crudeli & LORGIUS haſta,

 Poſt

Poſt ſequitur parili imperio RISIBURGIUS atrox,
LAMERIUSque Duces æquo & moderamine cogunt
Vaſconas, & vario commiſtas agmine gentes.
Hos inter fulgens, auroque, oſtroque decorus
Ductor anhælanti nunc huc nunc pervolat illhuc
Vectus equo, & peditum turmas, equitumque maniplos
Ordine diſponit ſua quoſque ad ſigna vocatos,
Et iam compoſitas acies, armiſque coruſcas,
Signaque per magnos late volitantia campos
Spectat ovans oculis, quantum comprehendere fas eſt.
Qualis ubi ad Phrygij turritam flumina Galli
Mænadei excipiunt mille inter tympana matrem,
Ipſa ſinu magnos portans ſua pignora Divos
Alta gradu incedit mille inter Diva cohortes,
Dyndima terrificis reboant clamoribus alta,
Ibat tota acies imas inſtructa ſub Alpes,
Et iam per medias nubes, & proxima cœlo
Saxa audens penetrare parat; non frigora, ſævi
Non retinent venti, glacieſque infuſa pruinis
Perpetuis, iugaque Herculeum teſtata laborem:
Vis tanta eſt animis, ſed magni prævia motus
Læta per Allobrogum loculos iam fama vagatur
Primo lenta gradu, timidiſque volatibus errans,
At mox ingentes quatit inter nubila pennas
Plauſibus aucta ſuis, tenuis ceu flamma coruſcat
Arentes inter ſtipulas, & proxima tecta,
Cui vires levis aura novat, ſumptoque vigore
Paulatim ſe ſe extollens, mox ſydera lambit;
Iam ſuper Inſubres populos extenderat alas
Mœnia complectens immanibus omnia pennis,
Terrorem ingentem creſcens per compita ſpargit,
Exitium aduentare viris, atque urbibus ipſis
Iam cæpiſſe iugum, iam iam deſcendere Gallos,
Quot neque mille trahunt Troiana ad mœnia puppes,
Nec fera Pharſalici viderunt agmina campi.

Pro-

tinus inde DUCEM, Inſubriæ qui regna tenebat,
a adit, & magnis animum terroribus implet.
iam rumpe moras, indebita regna relinque,
cavis iterum fugiens vel montibus abde,
plex vel magno haud dubites te credere Regi.
amque aderunt Galli, veniet Rex ipſe repoſcens
Debita Regna, trahent te vinctum mille catenis.
Cedas, haud tanto Regi te cedere turpe eſt.
Sphortiadum genus Inſubriæ tunc ſceptra regebat
MAXIMIANUS Avo celebris, quo fortior alter
Non fuit Italia in magna, ſed degener ipſe,
Perſimiliſque patri proprijs diffiſus in armis.
Ergo huc nunc animum flectit, nunc anxius illhuc,
Turbida & ante oculos patris verſatur imago,
Helvetiæ nuſquam ſuadens ſe credere genti;
Hinc Amor, & multùm regnandi grata libido,
Duraque præteritos incommoda paſſa per annos
Præcipitant iuvenis varias ſub pectore curas:
Demum fixa animo ſtetit hæc ſententia: malle
Fortunam tentare levem, nec cedere Regno,
Certa licet magnis mors ſit ſubeunda periclis.
Helvetios primùm ſceptri ſibi iura dediſſe,
Hos quoque ſi libeat, pariter defendere poſſe.
Protinus ergo placet trepidis de rebus agentes
Mitti Oratores, tanti diſcrimina belli
Inſtantes quique enarrent mala cuncta pericli:
Arma citi capiant, ſegnis mora nulla retardet,
Communem hic hoſtem pellant, communia regna
Defendant memores percuſſi fœderis, & iam
Promiſſæ fidei ſub relligione Deorum;
Accelerent, primiſque obſtent conatibus, hoſtis
Dum ruit in præceps arctis de montibus, & dum
Frigore combuſti nervi, torpenſque niveſis
Cautibus ipſa trahunt corpus per lubrica ſaxa.
Hæc ferri mandata iubet, data deinde poteſtas

Tantum auri cupidæ genti promittere, quidquid
Urbs miſera, & templis nudatis promere poſſet,
Neu illorum animos diues prior occupet hoſtis;
Scilicet ipſa armis nunc imperat, ipſa potentes
Sola domat populos inſana pecunia: nuſquam
Tuta fides, pietas, nec amor, nec gloria curæ,
Dira gradu peſtis cum ſe ſe immiſcuit atro.
Iamque aderant Ducis Inſubriæ mandata ferentes.
Concilium ergo ineunt pagorum ſumma poteſtas
Prætores, bellique duces, rigiduſque Senatus.
Summa fuit: Regnum Ducis & commune tueri.
Ergo rudes capere arma viros dat buccina ſignum,
Præcipitantque altis ſe ſe de montibus omnes.
Ut gelidus Boreas media inter nubila quando
Denſat aquas, ferit & vibrata grandine terram,
Fit pavor agricolis ingens, fitque urbibus ipſis.
Prima viris, opibuſque poten s fremit agmine BERNA
Aſſueta immanes proſternere montibus urſos,
Hinc ſtudium vexilla ſuum teſtantia portat:
Tranſvebit atque ſuas plebs hinc FRIBURGIA gentes;
Oſtentans plenos Gallorum ſanguine campos,
Cum ſuper imperio certatum, & vindicis arma
Damnarunt Superi, unde ille ipſe in ſecula vivet
Oblati imperij ſpernens inſignia RVFFUS.
Arma, viroſque parat crebris SYLVANIA lucis,
SUVITTI & populi Helvetijs (primùm unde refulſit
Libertas) nomenque ducis per ſecula ſeruant,
Atque his communes ſcindens LUCERIA lymphas,
Nec CLARONA lacu ceſſat laudata propinquo.
Gens TIGURINA ruit, quos ipſe Lycmagus alto
Amne rigat, vitreoque lacus ſubterſecat audax.
Iamque ſuos linquit colles & ZUCCHIA pubes
Ante alias animiſque ferox, & pectore dura:
Poſt hos URANIÆ proles lætiſſima bubus
Mugitum ad tauri cornu ſua ſigna ſecuta.

Non

populum, genteſque truces in bella ſilebo
arco, quibus ipſa tremens excita profundo
phone, & vultu furiali paret Erynis,
atis poſtquam libris iurare coactè
iptum quoties carmen, cantuſque ſuperbos
erint ad iuſſa hominum laxare cathenas
rgemino capiti, vel Tartara pandere vivis.
His numeroſa cohors vicina BRIGANTIDOS undis
Iungitur, & SACRI nomen retinentia GALLI
Mœnia deſeruit, duxitque in bella phalangem.
Subſequitur nomen referens BASILÆA ſuperbum,
Quæve comis Rheno rutilis SCAFFVSA propinquo
Alluitur, pecudumque greges tot cogit ad undas;
Cæſaris antiqua & ſedes, cui proxima nomen
Servat adhuc Cæſar primum vox barbara claudit.
Iungitur & crine impexo SOLODUNA iuventus,
Quæque BADÆ celebrat tepidos ad balnea fontes,
Membra quibus nudant iuvenes, mixtæque puellæ,
Alternantque iocos, atque oſcula mutua iungunt.
Hic nudas iuveni haud turpe eſt vidiſſe natantes
Uirginis innuptæ, & corpus tractaſſe per undas.
Hos adeo ſimplex populos regit alma DIONE,
Genſque Berengaria Italici de nomine Regis
Intonſum caput, & denſis fera pectora ſetis
Nudabat, vultuſque truces in bella ferebat;
Uenit & inſignis multà gens laude SEDUNI
Purpureo SACRUM DOMINUM comitata galero
Helvetiæ magnum decus, unica gloria gentis.
Thebæa OCTODURUS adeſt legione ſuperbus,
Et quibus ingentes animos, & pectora Cæſar
Auguſtus facit, egregij gens nomine Regis
Dicta olim, celebres Romæ teſtata triumphos,
Nunc pagus brevis, & ſola feritate ſuperbus.
Nec VERAGRIS, nec vicino bene cognitus amni,
Quæque Adulam Druſi memorem, Rhenique labores

Gens colit arreptis inſignes Griſſones armis,
Clauſit os Rhodani fontem, ni Gallia cedat,
Seque negaturos Belgis Rheni ora minantur,
Auctus vt Inſubres ſcindat celer Addua campos.
Mira fides Rheno, indigenam nam iudice prolem
Aut noſcunt iuſtam, vel non ſua pignora damnant.
Indignatur Arar ſimili de nomine Gallum
Dici Ararim, tantumque ſinit SAUCONA vocari.
Tu quoque arundineà conſurgens RVSSIA fronte
Spectaſti plenas armato milite ripas.
Additur bis Alpina phalanx, quæ mœnia caſtri
BILITIONIS habet, Germano exercita more.
Francigenùm contemnit opes, quo tempore fortis
Cæſus Holon, & Guntbrani fera reppulit arma.
Talibus Helvetia armipotens tunc viribus altos
Deſeruit montes, & qua Verbanus inundat
Frugiferas valles magno ſe ſe agmine fundit,
Ut totis iterum populis aliena petentem
Arva putes vacuos pagos liquiſſe, domoſque;
Inde iter aggreſſi per campos læta patentes
Signa ferunt, miſeras vrbes, ſacraſque Deorum
Diripiunt, violantque ædes diſcrimine nullo.
Divitijs bellum indicunt, non fœdera cuiquam,
Non pacis proſunt leges, ſi apparuit aurum.
Demum qua Gallis ſummas penetrantibus Alpes
Solum iter eſſe putant, denſato milite ſiſtunt.
Inſtructa ergo imis acies iam ſtabat utrinque
Collibus, & multo ſitientes ſanguine dextras:
Iam iam ſparſura aerejs in montibus alpes
Crediderat, Latias Gallos ſe vertere ad oras.
Mirari, quiſnam ſublati in nubila pennis
Improuiſi adſint, ut non ſine numine Divùm
Deſcendant: trepidare metu, iam mente ſuperbos
Deponunt titulos, iam vinci neſcia corda
Vincuntur, patrijſque includi montibus optant.

Colli-

igerę ergo aciem ſparſam, & deuſo agmine iuncti
ere paulatim, & retro veſtigia ferre,
medio puppis fluctu nudata magiſtro
pelago iam ſævit hyems, certantque furentes
Eurus, Boreas illhinc, tolluntque profundo
verſos, fluctus trepidi in diſcrimina nautæ
eſtinant, curſumque ad proxima littora flectunt.
Sola phalanx invicta animis, invicta labore,
Auſa ſuis audax nimium diſcedere caſtris
Tardius, & quæ ipſum venientem ſenſerat hoſtem,
Poſtquam ſigna videt latis hoſtilia campis,
Denſato cuneo, atque humeris tormenta revolvens
(Errantes per prata boves nam abduxerat hoſtis)
Compoſitiſque in vallum armis ſua caſtra ſecuta eſt.
Horriſonum ſurgit cedenti ex agmine murmur,
Setigerum veluti medijs cum vallibus aprum
Hinc, atque hinc clauſere canes, & morſibus urgent,
Ipſe averſa ferens ſenſim veſtigia cedit,
Iam vaſto ſtridore canes iam diſſipat ictu
Fulmineo, latos deſcendit ſpuma per armos.
Et contra Galli cedentum terga laceſſunt,
Sanguineiſque fremit Princeps Auſonius armis.
Sylvis te, montane, boves agitare putaſti
Auſus Francigenûm turmas ſtare agmine contra?
Quo fugis Italiæ vindex, domitorque potentum
Principum? & o titulis nimium tumefacte ſuperbis,
Nominis & falſa deluſus imagine tanti,
Siſte gradum, & nunc aude æquo concurrere campo;
Iam diſces, quid ſit ferro, quid vincere fraude.
Talia iactabat medio furibundus in hoſtes,
Cominus aut gladio inſurgens, aut eminùs haſta:
Corda virùm inſtantis pugnæ flagrantia amore
Continuit Phœbus tingens ſe gurgite Hybero.
Noxque ſequens ambas acies in caſtra reduxit,
Et iam deſcendens campis equitabat apertis
Rex ipſe, inſigniſque omnis iam Gallica pubes,

D Cui

Cui decus, & tanti ſervabat nomina belli
Duſtor, qui incluſam potuit delere phalangem
Et ferro, diràque fame; ſed gloria Regem
Prima manet, primùm collatis vincere ſignis,
Uultque hoſtem forti primùm proſternere dextra.
Sublata ergo alte tolli vexilla iubebant,
Deſtructàque acie deducunt agmina caſtris
Helvetij proſtrati animis, nec iam amplius armis
Fidentes, ſe ſe proprias advertere fraudes,
Offerrique placet pacem, bona nomina pacis
Complecti, vanamqae fidem ſubſcribere pactis,
Dum male quæſitam prædam, manifeſtaque furta
Magnorum ſpolia, & templis detracta Deorum,
Præcipueque armentorum per rura gregeſque
Campeſtres, quot magna Scythæ per paſcua cogunt,
Abducant, patrijſque locent in montibus omne.
Ergo Deos teſtes, & ſacræ nomina legis
Utrinque abducunt, & non violabile numen
Æterni Superùm genitoris fœdera ſancit.
Nuncius Inſubriæ iam iam per regna tumultu
Ingenti attulerat, firmo ſe fœdere Gallis
Iunxiſſe Helvetios, verſiſque recedere ſignis.
Vota metu ingeminant urbes, tectiſque ruinam,
Et flammas metuunt; prædæ iam cuncta futura
Militibus nullo ætatis diſcrimine: cædes
Brixiæ & ante oculos volitant, ſtrageſque Ravennæ.
Iratum eſſe putant hoſtem, maiorque periclo
Fit timor auctore incerto; trepidatur ubique,
Deſeruere lares proprios, tremulique parentes,
Longevæque humeris matres, queis certa ſepulchri
Iam ſteterat ſedes, (pietas!) portantur & una,
Plorantes nati genitorum paſſibus æquant
Aſſiduis, coniuxque virum præcedit anhæla,
Compoſitæque domus rheda capiente trahuntur.
Inſubriæ mater MEDIOLANUM excipit omnes,
Ingentique ſinu populos complexa tuetur,

Hoſpi-

ue fovet, ſe tot pro gentibus hoſti
er, & proprio minuit commune periclum.
egius intereà Ticini exercitus omnis
mina tranarat, iam foſſis caſtra coronant
placidas ſuavis ſpectat Buſtaria ripas.
iferæ hic ramum tendentem Pallados urbis
egem Oratores adeunt, pacemque precantur
Affuſi, & tali eſt FLORENTIUS ore loquutus.
Non tibi, cui populos noſtros dedamus & urbem,
Venimus Arctoi Rex orbis maxime Regum,
Nam tua iam dudum hæc animo, ſed mæſta Tyranni
Imperio opprimitur; trucibus circumſonat armis
Helvetius minimam cauſam, vel crimina quærens,
Quo miſeras inhians gentes populetur, & omne
Flagitium admittat: magnis nos ante tributis
Exhauſti; ſi quid ſupereſt, cum ſanguine geſtit
Eripere, expectatque diu, dum corde latentes
Effundat populus gemitus, dum Gallica tandem
Tollat ſigna, tuas acies cum fama ſuſurrat
Adventare; vides etiam nunc, imminet urbi
Expectans quidnam ſtatuamus, ut inde rebelles
(Dij prohibete) illi ſi fors victoria cedat,
Nos belli rapiat iure, ac ſubvertat ab imo
Mœnia, & ingentem ducat gens indiga prædam:
Ipſe tuæ miſerere urbis, quam ſanguine tanto
Diverſa adveniens orbis regione per alpes
Solus inaceſſas penetrans, ſeruire Tyranno
Non pateris, miſeroſque iubes ſperare ſalutem.
Innumeræ peditum ſunt tibi ad bella phalanges,
Invictæque equitum turmæ: concurre potenti,
Miſce acies campo, periuro ſanguine inundent
Gramina, & ingentes albeſcant oſſibus agri.
Nec niſi victorem tua te urbs poſt prælia cernat,
Quæ meritos iam mente parat, ponitque triumphos,
Quæ, tua ſi Helvetius velut hactenus arma recuſet
Tentare, & populos ſævo committere Marti,

 Sum

Sunt nobis certæ leges, conventaque pacta,
Octavum ſi aurorà dum detexerit orbi,
Nec ſua viciniæ produxerit agmina caſtris
Helvetius, liceat Gallorum admittere turmas,
Auxilijſque iuvare viros, opibuſque fovere.
Has æquo ipſe animo leges patiare, precamur.
Proſtrata ante pedes lacbrymans urbs ſupplicat omnis,
Infirmique ſenes, pueri, innupiæque puellæ,
Pectore matronæ lacero: paſſiſque capillis
Virginitas te ſacra rogat, ſanctique Deorum
Cultores: miſeris cædes averte, rapinaſque,
Et ſtupra, ſacrilegaſque manus, & quidquid acerbum,
Horrendumque nephas in nos meditatur avarus
Hoſtis: erunt tanti æterna hæc monimenta laboris,
Innumerum cædi populum eripuiſſe nephandæ,
Teque patrem patriæ adſcribent in ſecla nepotes.
Talia proſtrati lacbrymis uno ore precantur.
Quos placidam attollens frontem, vultuſque ſerenos
Sublevat, & breviter tali REX voce profatur.
Eſt mihi præcipua hæc animo ſententia ſemper,
Non aliud mea tot, quæ cernitis agmina, quærunt,
Quam veſtram ſervare urbem, qua gratior ulla
Non mihi, non patriæ eſt: triſtes ſeponite curas,
Solvite corde metus, lato concurrere campo
Urbe procul mens eſt: tanti in diſcrimina belli
Nec vos committam, licuit conventaque pacta,
Et legem Helvetijs dici, & ſervare iubemus.
Ite, bonam veſtris rebus ſperate ſalutem.
His lætos dictis dimittit, & addit honores,
Promiſſiſque animos cunctorum ingentibus implet.
Proximus interea patriæ ipſe TRIVULTIUS urbi
Venerat, haud equitum magna ſtipante caterva,
Inque ſuburbanis greſſus firmarat, & agmen.
Lætitiam non ultra animis celare poteſtas:
Nobilitas effuſa ruit, carumque parentem
Complexi in lacbrymas ingentia gaudia ſolvunt.

..i ſuum, cum mors ſubvertere Magnum
olumem, tanto ſuſcepit honore,
exilio patriæ comitata parentem
, immotique animi, atque immota tenetur
minum, & nequeunt expleri corda tuendo.
veneranda comis, promiſſaque vultu
entis patriæ barba atteſtata labores
munes, curaſque graves, animique dolorem.
aureo ſplendet ſagulo, & fulgentibus armis:
a dies, nox ulla ducem conſpexit inermem,
m primùm Italicis ſonuit Mars horridus oris.
entem ſublimis equum compeſcit habenis,
m decimum, octavumque ætas huic claudere luſtrum
m properet, validi tunc omnia militis ambit
Munera, militiamque gravem iuvenilibus auſis.
Dij (venerande ſenex) tibi dent Dij proſpera cuncta,
Et placidam in patria tot poſt fera bella quietem.
SPHORTIACO iam fama DUCI (qui Gallica poſtquam
Agmina Ticini audierat tranſiſſe fluenta,
Se Iouis ingenti tutus præcluſerat arce)
Attulerat, Gallos portis bipatentibus urbe
Admitti: hinc ergo ire iubet per compita vulgus,
Qui dubium incerto, & ſe animo in contraria ſcindens
Hortantur capere arma, DUCEM defendere bello,
Proxima dum Helvetij producant agmina campis.
Extemplo commoti animi, ſublataque ſigna
Numinis imperio, magnæ quod præſidet urbi;
Arma viri paſſim longa ferrugine tectis
Fixa trahunt, patrum decus atteſtata ſuorum,
Et belli egregias laudes, incognita poſtquam
Non bene quæſitis ſceptris timuere tyranni,
Externaſque vocant mercede in prælia gentes:
Aſtant prò portis denſata plebe phalanges
Innumeræ ducibus nullis, atque ordine nullo,
Confuſamque implent varijs ululatibus urbem:
Quin etiam ſtolidas poſtquam temerarius ardor

Invaſit

Invaſit mentes, agitataque pectora Marte,
Signa auſi contra medijs effundere portis,
Et ſocias ferro, pugnàque laceſſere gentes;
Fundit ſe arcta globo plebes, & inutile vulgus,
Cedentemque premit magnis clamoribus hoſtem.
Verum ubi iam totis converſis viribus ipſam
Explicuere aciem, collataque cominus arma
Vix dum conſertis in mutua vulnera dextris,
Utrinque eſt revocata acies, hinc Gallica caſtra,
Hinc urbem repetunt, dubij ſtat gloria Martis.
Magnanimi poſtquam fama hæc pervenit ad aures
Francigenùm Regis, populos inimica tuliſſe
Arma in ſe, infeſtiſque animis obſiſtere contra,
Gentis amore premens tacitum ſub corde dolorem,
Caſtra movet, rapidumque agmen præmittit ad urbem,
Quam MELLENIANI celebrant de nomine pagi.
Hic vatum reſponſa diu, ſortiſque futuræ
Conſcia fatidico prædixerat ore Virago,
Iam fore labentes fatis volventibus annos,
Diverſa ut populi terrarum parte potentes
Inſubriæ ſuper imperio tot Marte cruentas
Miſcerent acies, laceranda tot agmina ferro,
Ut ſparſo ingentes undarent ſanguine campi.
Sæpe faces geminæ, cum nox iam lumina terris
Verteret in tenebras, medios errare per agros
Conſpectæ; humentes vox exaudita per umbras
Terribilis, ſerus timuit quam ſæpe viator,
Et tremebunda premens vix dum veſtigia ceſſit.
Interea gens vana Deos, nec fœdera curans
Viribus exauctis, & firmo robore pubes
Helvetia effundit ſe ſe, lætiſque per urbem
Excepta hoſpitijs animos, & corpora curat.
Cumque diem pugnæ, atque ultro captanda videret
Tempora, dum paribus ſtudijs ſtant fœdera contra,
Helvetij proceres bellum, & pax nulla retractat.
(Namque labare animos multorum, & fœdera poſci,
Inque

damnare magis iam ſenſerat arma)
DUNENSIS properat committere ductor,
ue gravi, quo duras flectere mentes
or, dubioſque duces attendere pugna,
umfuſo conſurgens milite fatur.
ciæ quicquam (ſocij) virtutis adeſſet,
mel ignavo ſediſſet pectore languor,
meis nuſquam verbis nunc tempus egeret,
oret hortandus properans in prælia miles,
impune ſibi nec ferret Gallia noxam
ra locare audens ſociæ ſub mœnibus urbis,
vaſtare agros, & tecta abſumere flammis:
n Rhodani ſervare vadum, ſua regna tueri
a foret, patriæque alpes metuentibus eſſent,
Inſubria & noſtro ſat nomine tuta fuiſſet.
Verum ubi diſcordes tenuit veſania mentes,
Reſque geri vaſto diſſenſu publica cæpit,
Auctæ hoſti vires, pariterque audacia crevit.
Contemptum Helvetij generis tulit, arma patenti
Inde ſonant campo: Inſubriæ felicia regna
Vaſtat eques, lacerant Belgæ, tenet omnia Vaſcon:
Ad vos (ah miſeri) nunc triſtia lumina flectunt,
Nos fruſtra expectant, fruſtra & ſocia arma tuentur;
Ante oculos fieri patiemur nos talia noſtros?
Nec movet hoc, vobis etiam quod tale minantur
Exitium, & noſtros audent ſibi poſcere pagos?
O liceat Stygia nobis remeare palude
Helvetiæ quondam genus inſuperabile gentis,
Magnanimi Heroes, quorum virtute recepta eſt
Libertas, Cæſarque ſuis non obſtitit armis,
Non Burgunda manus, longo non Auſtria bello;
Nam pudeat tales generi eduxiſſe nepotes,
Degenereſque animas veſtro de ſanguine naſci.
Egregiam an memorem laudem; atque recentia facta,
Burgundæ cum ſæva ferox DUX prælia gentis
CAROLUS inſtaurat toties, & ſanguine creſcit

Effu-

Effuſo, aſt iterum atque iterum dat ſanguine pa[illegible]
Proſtratum fulvà iacet ingens corpus arena,
Et tibi ſervandas dedimus tunc Gallia leges;
Anne magis cum parva phalanx, ſoluſque manipl[illegible]
Innumeras equitum Gallorum in prælia turmas
Suſtinuit, DELPHINUM abigens, ſocioſque iuvan[illegible]
Flumina tum hoſtilis vidit BASILÆA cruoris.
Ut meminiſſe iuvat, magnus qui CAROLUS ille
Po[illegible]*peij inſignes æquans cognomine laudes,*
Qui totam Europen cinxit victricibus armis,
Indomitos nunquam Helvetios iuga ferre coegit.
Mugitum URIACI timuerunt claſſica tauri;
Tales priſca atavos viderunt ſecula noſtros,
Nullaque non ætas magno decoravit honore;
An vos his ſimiles, quos Gallus provocat armis?
Imbellis Gallus, Venerem, nocturnaque bella
Qui mage cognovit, cui ſi convivia demas,
Scortaque, & aſſiduo pergrandia pocula Baccho,
Et placidos molli pluma producere ſomnos,
Extemplo reſoluta iacent languentia membra,
Frigoris aut æſtus pariter patientia nulla eſt.
Verum non animus nobis, non robora deſunt,
Mens invicta malis, invicta & dextera bello.
Agnoſco, videoque trucis tot millia Martis:
Et cur non igitur concordi in prælia mente
Iam ruitis? campi Gallorum ſanguine inundent:
Iam facite, ut turba æternùm temeraria diſcat,
Stulta ſibi hæc quanto ſua nunc audacia conſtet.
Ite alacres: pugnate, nihil quod conferat hoſti eſt:
Non ſolidos Belgas, quos in certamina ducunt,
. . . .
. . . .

Cætera deſiderantur.

99 961417

Digitized by Google